



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. II. Qui sint effectus interdicti?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

DUBIUM II.

Qui sint effectus Interdicti?

Resp. Sant sequentes. 1. Prohibitio divinorum officiorum. Unde etiam interdicti, ob alienam culpam non possunt interesse sacro. Clerici tamen & religiosi, quando ipsi interdicti non sunt, possunt ac debent ut ante Missas, divinaque officia celebrare; sed januis clausis, non pulsatis campanis, (nisi ad concionem, salutationem Angelicam, vel obitum alicuius) submissa voce, & exclusis interdictis. Permittitur tamen, ut in festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis, & per octavam Corporis Christi, divina officia cantentur solemniter, admissis etiam interdictis, modò qui causam interdicto dederunt, altari nec appropinquent, nec veniant ad offertorium, vel communionem. 2. Prohibitio administrationis sacramentorum, excepto Baptismo, Confirmatione, & pœnitentia: quæ omnibus permittuntur, iis exceptis, qui interdicto causam dederunt, etiam auxilio, consilio vel favore. Eucharistia tamen potest dari morituris, & deferri cum lumine & campana. Nec improbable est interdictis licere contrahere Matrimonium, ut *Sanc. Con. & Lay.* docent contra *Suar.* quia hoc Sacramentum secundum substantiam non ab Ecclesia, sed ipsis contrahentibus ministratur. 3. Prohibitio sepulture Ecclesiasticæ, etiam respectu infantium & amentium. Excipe tamẽ Clericos, qui in interdicto

locali

locali, si nominatim interdicti non sunt, nec interdictum violarunt, possunt cum silentio sepeliri. *Laym. c. 2. nu. 3.* 4. Clerici violantes interdictum, peccant mortaliter; sicut etiam religiosi utriusque sexus: qui insuper excommunicantur de facto. Laici verò peccant quidem graviter, si contra interdictum personale recipiant sacramenta: si verò tantum violent locale, v.g. audiendo divina officia, probabilius est, tantum esse veniale, dummodo ipsi personaliter interdicti non sint, *Laym. c. 3. ex Sylv. Soto, Avila, &c.*

DUBIUM III.

Quis censuram interdicti ferre, & quis tollere possit?

Resp. I. Interdicere possunt iidem, qui excommunicare & suspendere. Et quidem ut determinata persona interdicatur, videtur requiri culpa mortalis; ut autem feratur Interdictum locale, vel generale in communitatem, requiritur peccatum valde grave, cum contumacia commissum à capite, vel præcipuis membris, licet reliqui culpa vacent.

Resp. II. Interdicta localia, & personalia generalia, quæ jure communi sunt imposita, nec reservata tolli ab Episcopo, vel alio habente jurisdictionem in communitatem interdictam; non tamen à Religiosis privilegiatis: quia locus & communitas foro pœnitentiæ non subjiciuntur.

Resp.